

rum ecclesiarum in multismodis¹ meditationibus insonantem, concitant² clericorum venena³, in Preiecti invidiam perfundunt⁴ in aure, ut fatiat puerum inter ceteros meditum⁵ cuiusdam soni, unde ipse inscius erat, vix tandem, ut ita dicam, puncto ore, meditum⁶ personasse⁷, quem sui aemuli longo iam evo sonitum vocibus decantabant. Iubetur puer, ut reddat, quod minime ante paraverat. At puer armat frontem, pectora munit, patientiam petit, sanctum Iulianum invocat martyrem, ut eius adiutor existat, et ut nec magistri inperium differat, iram frangat, ceterorum aemulorum malitiam sedet: replet Dominus puerum suum, ut sonum, quam⁸ antea non tenuisset, magistrali voce decantaret. Sic eius aemuli⁹ sua malitia torquentur, dum cupiunt puero prebere supplitium, adtollunt in laudibus. Solitus beatus Preiectus post erat referendus sodalibus, quod sic de eius memoriam labisset¹⁰, ut numquam eum ultra valuisset reddi¹¹. Quid aliud datur intelligi, nisi¹² eum ille sua defensione ambiebat, cuius gratiam¹³ intrinsecus pollebat?

Non post multo tempore beato pontifice Genesio extat voluntas, ut sancto Preiecto diocesim Ociodrensem ad regendam¹⁴ committeret. Quantum vel qualem se tunc in ipso regimine conaverit¹⁵ ostendere consistendo, non est sciendum; quam creber in ieiuniis, quam promptus in synaxi, quam gaudens in scripturarum infulis vegetet, testes sunt, qui visa narrantur. Solitus nanque erat in diebus parsimonie sub claustra celle habitatorem se ponere; nisi tantummodo cum domesticorum fidei continuata convivia sumeret, laicorum devitabat aspectus. Quid longius inmoremur¹⁶? Tantum se, ut valuit, per Dei gratiam humilitatis in ipso regimine demonstravit, ut iam tunc signifer¹⁷ nobis ac suis benignissimus doctor appareret.

Denique, ut ei opes fuissent adauctae, coepit in agros Christi, pauperum¹⁸ videlicet sinus, non pauca nummorum distribuere data. Quodam namque tempore cum cuiusdam Gundoberti, sui propinqui, elemosinarum pauca¹⁹ pecunia servanda dedisset, adveniunt pauperes, inportune fores pulsantes Preiecti²⁰. Coartat paucitas, quid inter multos distribueret, quod²¹ amplius quam duos nummos non haberet. Redit armi-

1) 'multimodis' 2 a. b. 2) 'conciat' 1. 3) 'et' add. 2 a; 'et' pro 'in' 2 b. 4) 'prefundunt' 1. 5) 'medium' 2 b; 'modulum' 2 a: malim 'melicum'. 6) 'meditatum' 2 a; 'medio cum' 2 b: item 'melicum' praefero. 7) 'personare' 2 a; 'personasset' 2 b. 8) 'quem' 2 a. b. 9) '(a)emula' (1. 2 b.) 10) ita 1. 2 a. 11) 'reddere' 2 a. b. 12) 'nisi quod ille eum sua' 2 a. b. 13) 'grat(c)ia' 2 a. b. 14) 'regendum' 2 a. b. 15) ita 1. 2 a. 16) 'et' add., sed eras. 1. 17) 'tunc fervens ac suis' 2 a; 'tunc veraciter suis' 2 b. 18) 'paupm' 1. 19) 'paucam pecuniam servandam' 2 b; 'causa pecuniam servandam' 2 a. 20) 'Preiectum' 2 a. b. 21) 'qui' 2 a; 'cum' 2 b.